



Disputatio politica de optimo statu reipublicae

<https://hdl.handle.net/1874/340880>

DISPUTATIO POLITICA
DE

Optimo Statu Reipublicæ:

QUAM

Favente Deo Opt. Max.

SUB PRÆSIDIO


Clarissimi Doctissimique Viri,

D. DANIELIS BERCKRINGERI, L. A. M. &
Philosophiæ in Almâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

Publicè defendere conabitur,


MARCVS du TOVR.

Ad diem 17. Novemb: horis locoque solitis.



ULTRAJECTI

Ex Officinâ Ægidii Roman, Academ. Ty-
pograh. ANNO c1o 1o xli.



Nobilissimis, Generosissimisque Viris,

DD. IOHANNI MAMVCHET,
Toparchæ in Houdringen:
DD. MARCO MAMVCHET:

Matruelibus meis nullo non officiorum genere pro-
sequendis,

Hanc de optimo Reipub: statu *Διάσκεψις,*

In grati animi symbolum

Dico

MARCVS du TOVR

Resp.

ULTRAECTI
Ex Officina Regidii Romanii, Academ. Ty-
pog. ANNO d. 1712.

Optimo Statu Reipublicæ.

T H E S I S I.



Omnem animal, omni ape, omni animante gregali gregalius, indiget Aristoteles 1. Pol. 2. Quod respiciens Scaliger lib. 4. de Re Polit. cap. 1, nomen hominis ab *hōis* derivando deducit, ut ipsa notatione significaret, eum esse societatis non non appetentissimum.

I I.

Cum verò omnis societatis studiosissimus homo, tum post conjugalem nullius magis, quam Politicæ, quæ ut sit ultima societatum ordine naturæ generantis & componentis, tamen ordine naturæ in-
 tendentis est prima, à quâ suum esse non inchoativè tantum habet & materialiter quoad partes, sed perfectivè quoque & formaliter quoad partium unionem: quæ prima forma, perfectio, atque, ut ita dicam, nativitas societatis civilis, quam debet naturæ matri, *Casus Sphæ: Civ: lib: 1, cap: 2.*

I I I.

Formæ huic naturali civilis societatis, quasi obstetricatura naturæ parturienti, artificiosam superinduxit prudentia, rectæ rationis consilio usa, quæ coetum hominum ad hoc exemplum coadunatum magis etiam univit, certâ inter eos Reipublicæ formâ constitutâ: quæ altera forma, perfectio, atque, ut ita dicam, nativitas societatis civilis, quam debet arti patri.

I V.

Ab hac Reipublicæ constitutione manarunt proximè Species ejus, inter se & à se differentes, non tam ratione imperii, quam ratione imperantium, numero differentium. *Besold: disc: Pol: de Monach: caps: 1. f. 3.* Atque ex eo Respublica in Monarchiam & Polyarchiam tribui cœpta.

V.

Monarchia est Respublica, in qua unus summę rerum præest secundum leges. Vtrum is vocetur Rex vel Dux, nihil ad rhombum, ait Baldus, dum omnium rerum modò habeat potestatem solus, id quod in Monarchâ omninò requiritur: *Ful: Pacian: consil. 149.* Ut non nomine magis, quàm re, sit talis. *Bodin: lib: 1 de Rep: cap. 9.* Est enim summè necessarium ad essentiam Monarchiæ requisitum, ut unus solus hęc rerum potiatur. *Besold: disc: Pol: de Monarch: cap. 3. f. 4.*

VI.

Ex quo consequitur, Dyarchiam seu Duumviratum, Triarchiam seu Triumviratum, Monarchiæ nomine non comprehendi. Quamvis enim in tali statu alter alterius imperio non teneatur, tamen alter sine alterius consensu imperare nequit, cumque nullius hęc summa sit potestas, hinc fit, ut nullus hęc sit Monarcha. *Bodin: lib: 1 de Rep: cap: 2.* Neque aliud de Condominio iudicium, quod duo pluresvè in unâ ditione communiter obtinent, ex quibus nemo in solidum, neque alter sine altero jurisdictionem exercere potest. *Besold: disc: Pol: de Monarch: cap: 3.* Id quod ipsum ad Imperium, quod vocant, Subalternum rectè transtuleris, quod opponitur Absoluto, & ipso nomine præfert inferioritatem & subjectionem. *Idem disc: Pol: de Stat: Reip: sub alterno, cap: 1.*

VII.

Quod si tamen princeps aliquis peregrinus regni sibi despondeat heredem foeminam, & paribus auspiciis cum illâ imperet, non tam Dyarchia quàm Monarchia gubernatio hæc censenda fuerit, non secus ac si heres regni foemina sola imperaret, quia in his præsumitur unio in dualitate, non dualitas in unione, *Idem ib.*

VIII.

Universè, cum Monarcha plenum jus habet, imperium hoc ejus *παμβασιλευ*, quasi dicas, Regnum Plenum: Si id ipsum non modò rerum sed & personarum dominium secum trahat, Dominatus dicitur, ipse verò Monarcha Dominus *κατ' ἐξουσίαν*, cum sit princeps libertatis fortunarumque omnium. *Idem disc: Pol: de Monarch: capp. 4.*

85.

Poly-

IX.

Polyarchia est Respublica, in qua plures summæ rerum præsent secundum leges. Estque vel Simplex, vel Mixta. Simplex Polyarchia est, in qua imperium plurium simpliciter, & sine mixtura ac temperamento spectatur. Estque vel Aristocratia, vel Democratia.

X.

Aristocratia est Respublica Polyarchica simplex, in qua pauci Optimates summæ rerum præsent secundum leges, non distributivè singuli, sed collectivè universi, plures paucioresvè pro status exigentiâ.

XI.

Optimates, hi vel nascuntur, vel fiunt. Illi recipiuntur magis, quàm eliguntur: hi eliguntur magis, quàm recipiuntur. Ut ritè, jus eligendi conferendum virtute spectatissimo, ut eligat sibi similem alterum, hicque electus tertium, tertius quartum, & sic deinceps, donec numerus completus sit, quem modum eligendi Tholosano probari video, *lib: 4 de Rep: cap: 5* Nobis tamen alter magis placet, quo electio est absolute penes ipsosinet Optimates, aut certos Ephoros præter Optimates *Hænon: dispnt. Pol: 10, thes: 27.* Neque enim tam audiunt Optimates, ed quodd singuli & distributivè, id est, simpliciter & absolute sint tales, id est, Optimi, quàm quod omnes & collectivè, ita ut non singuli quidem seorsim sumti omnibus virtutibus simul excellant, sed omnes simul, unus unâ, alius aliâ; instar symbioticarum cœnarum. *Arist: in Pol.* Quin evenire potest, ut genere dignitate & opibus conspicuis Respublica Aristocratica committenda sit in defectu meliorum. *Idem 4 Pol: 7. & 5 Pol: 7.* Cum enim optimi cives haberi nequeunt, rectè Respublica committitur iis, qui aliorum comparatione saltem sunt minùs mali, aut in quibus plura, quàm in plebe, argumenta virtutum reperiuntur, vel quorum bona obsidis & pignoris sunt loco Reipublicæ, quique omnia magis referunt, saltem referre præsumuntur, ad commodum civitatis. *Idem 3 Pol: 7. Bodin: lib: 2 de Rep: cap: 6. Besold: disc: Pol: de Aristocrat: cap: 3. s. 2.* Quamdiu autem ratio boni communis habetur, legitima electio censerj debet. *Idem ibidem.*

XII.

Sed nec Respublica Aristocratia amittit nomen, cum electio Optimatum

timatum est penes Ephoros, præter Optimates. Neque enim hîc ex electione de statu est judicandum, sed potius inspiciendum jus, quod datur electis, quod factâ electione est majus hîc in Optimatibus quàm in Ephoris, in electis, quàm eligentibus. Ut autem Aristocratia non sit Aristocratia, id est, Democratica potius, quàm Aristocratica, oportet, ut factâ electione adhuc major sit autoritas in eligentibus, verbi gratiâ, Populo, aut parte Populi, quàm in electis Optimatibus: item, ut à sententiâ Optimatum detur provocatio ad Populum, tanquam superiorem, quod hîc non fit. *Idem ib: cap. 2.*

XIII.

Quod si tamen Populus legat Optimates per Ephoros ad certum tempus, & pro arbitrio, Democraticus Status omnino agnoscendus est in tali regimine. *Ib: cap: 3. f. 6.*

XIV.

Democratia est Respublica Polyarchica Simplex, in quâ vel Populus, vel saltem major ejus pars, summæ rerum præest secundum leges. Speciatim & absolutè Respublica dicitur, 3. *Pol: 5.* eò quod hîc omnia maximè publica, id est, populi seu communia existant, universique cives æquâ inter se ratione jus publicum sint partiti. *I. C. Scal. lib. 3. de Re Pôit: cap: 28.* Dico Populus, non Plebs, quæ à populo differt; ut pars à toto, non ut species à genere. *Besold: disc: Pol: de Democrat: cap. 1.* Estque vel Liberior, vel Astrictior.

XV.

Democratia Liberior est, quæ omnes censec secundum numeram, & non secundum qualitatem, vel generis, vel virtutis, vel divitiarum. In hac ad magistratum assumuntur omnes ex omnibus, omnes præsent unicuique, & unusquisque vicissim omnibus, judicant omnes, ex omnibus, & de omnibus. *Tholos: lib: 4. de Rep: cap: 5.* Hujus duæ bases: *ἰσοκρατία*, seu Juris æqualitas, & Vicissitudo imperandi ac parendi. *Idem lib: 5. cap. 2.*

XVI.

Democratia Astrictior est, in quâ summæ rerum præsent aptiores ex populo, ita tamen, ut secundum populi suffragia accipiant eam potestatem alternatim. *Aristor: 6. Polit: 2.* Quod si in hac magistratus conse-

tus conferantur *τοῖς πλουτοῖς*, non tam aptioribus quam honoratioribus, id est, patriciis, tunc induit nomen Timocratix, quam Aristoteles interdum pro vitiosa Reipublicæ formâ agnoscit, ut 8 *Eth.* & 6 *Pol.*

XVII.

Κεῖμενα Status Democratici sunt, cum alia, tum hæc: Constitutio Magistratum per Populum, Appellatio à Magistratibus ad Populum, Accusatio eorundem apud Populum, denique *ρομοκρασία* Popularis. *Besold. disc. Pol. de Democrat. cap. 1.*

XVIII.

Mixta Polyarchia est, in quâ imperium plurium non simpliciter, sed cum mixturâ & temperamento, spectatur. Cum enim supremi imperii jura, maximæque potestatis notas, non omnes, perque omnia, vel Rex, vel Optimates, vel Populus Senatûsve habent, tum verò mixtus minimeque uniformis Reipublicæ status exurgit. *Machiav. disc. 1. cap. 2. Clapm. lib. 5. de arcant. Rerump. cap. ult. Busins 2. de Rep. cap. 6. Keck. disp. Pract. 36. probl. 8. Arn. doct. Pol. cap. 8. Kirchnerus disp. 3 de Rep. coroll. ult. Qui neque Monarchiam, neque Aristocratiam, neque Democratiam ullam usquam puram putam, & sine temperamento, vel olim exiisse, vel hodiè extare, assertum it, eò quòd in statu populari senatus cum plebe participet Reipublicæ summam, nulli porro reperiantur reges principesve, quorum potestas capitulationibus certis non sit circumscisa. *cit. loc.* Quod quemadmodum asserere non ausim, ita dari omninò Mixtam Rempublicam, seu Statum Mixtum, libenter admiserim. *Contra Bodinum lib. 2 de Rep. cap. 1.**

XIX.

Quamquam enim salvâ Reipublicæ formâ Majestas dividi nequeat distributivè, constitui tamen ab initio Respublica ita potest, ut Majestas non uni vel paucis absolutè committatur, verùm uni & paucis. Potest namque imperium à Populo ad Principem & Optimates transire, vel Plenarium, vel Conditionatum. Quin immodò in Reipublicæ conversione quemadmodum aliquando adimitur in totum, ita non rarò limitatur imperium. *Besold. disc. Pol. Jur. de stat. Reip. Mixt. cap. 1. s. 3. Quid multis? Positis Majestatis juribus ponitur status:*
jam

jam verò jura illa non semper sunt penes unum, nec semper penes paucos, nec semper penes plures, sed partim penes hos, partim penes illos, partim penes istum: Ergò. *Ib.*

X X.

Polyarchia hæc Mixta universè vel Principalis est, vel Minùs Principalis. Principalis iterum vel Monarchico-Aristocratica, vel Aristocratico-Democratica, vel Monarchico-Aristocratico-Democratica.

X X I.

Polyarchia Monarchico-Aristocratica est Respublica Polyarchica Mixta Principalis, in quâ Princeps & Optimates summæ rerum conjunctim præsumt secundum leges, ita tamen, ut Princeps principalem potestatem etiam habeat, neque nomine tantùm aut titulo sit Princeps. Optimates adjuncti Principi in hoc statu aliàs aliter alibi appellantur, modò Patricii, modò Seniores & Senatores, modò Ordines ac Status Regni, modò Vindices, Custodes, Defensores Regni, modò Electores, rarissimè autem Ephori, ἀπο Ἐφορῶν, quod ad salutem Reipublicæ oculos habeant intentos. *Keck: lib: 2. Pol: cap: 4. Athen: cap: 14.*

X X II.

Principe suo superiores collectivè, inferiores distributivè. *Keck: disp: Pract: ult: Probl: 10.* Sed non ex pacto speciali. Cum enim ex tali pacto Ephori sunt in omnibus superiores suo superiori, tunc non status mixtus, sed simplex censendus est, puta Aristocraticus. *Besold: diff: Pol: Liv: de Stat: Reip: mixt: cap: 3 s. 2.*

X X III.

Polyarchia Aristocratico-Democratica est Respublica Polyarchica Mixta Principalis, in quâ Optimates & Populus summæ rerum conjunctim præsumt secundum leges. Status accommodatissimus urbibus, quæ hæc formâ pleræque omnes hodiè reguntur. *Lauterbach in Regentenbuch.*

X X I V.

Polyarchia Monarchico-Aristocratico-Democratica est Respublica Polyarchica Mixta Principalis, in quâ Princeps, Optimates, & Populus summæ rerum conjunctim præsumt secundum leges, atque ita quidem præsumt, ut Principi sua hæc constet dignitas, Optimatibus sua
sua

sua constet Potentia, Populo sua constet Libertas. *Machiav. lib. 2.
de Rep. cap. 2.*

XXV.

Quod si in aliquâ Republicâ tres hæ species commisceantur, neque tamen jura Majestatis distribuantur, Democratia sanè videatur. Enimverò in Democratia major pars populi concludit scilicet: hic major pars populi cæteris præjudicare non potest, cum Princeps, Optimates, & Populus constituent ordines tres, & faciant vota tria. *Besold: disc. Pol. Iur: de statu Reip: mixt: cap: 3 s. 1.*

XXVI.

Polyarchia Mixta Minus Principalis est Polyarchia Monarchico-Democratica, in quâ Princeps cum Populo summæ rerum conjunctim præest secundum leges. Appello minus principalem, quia sicut natura rerum non temerè copulat duo extrema sine medio, ita nec ars.

XXVII.

Utraque vel est conjuncta cum prædominio, vel sine, idque vel simpliciter, vel secundum quid. Quemadmodum enim ex mixtione elementorum in humano corpore varia in variis individuis humanis temperamenta oriuntur, ita ut illo in corpore ille humor, in alio alius prædominetur: Idem in Republicâ usvenire videas. Nam aliàs alia forma prædominatur. Quemadmodum item in corpore humano tam diu vita durat, quàm diu humor prædominans alios humores non plane suppressit: Ita tam diu durat Respublica, quàm diu forma prædominans una alias non extinguit. Quemadmodum denique natura res non semper accuratè miscet: ita haud convenit mirari, si industria humana formas Rerumpublicarum aded exactè semper non possit miscere, quin subinde aliquis in eâ mixturâ sit, vel excessus, vel defectus.

XXVIII.

Cæterum quando simpliciter prævalere debet in aliquâ Republicâ Monarchia, hic verò vel inprimis valere debet successio & hereditas, Monarchamque oportet peculiaribus libertatibus adversus reliquos status ita munitum esse, ut eos faciliè in officio continere possit, quod obtinebit, si tam Aristocraticis quàm Democraticis nulli concedantur fin.

tur singulares conventus, multa collegia, quibus non adit vel præsit ipse Monarcha: Quando simpliciter prævalere debet Aristocratiæ, hæc verò successio & hereditas imperii admitti non debet, sed manere electio Principis penes Optimates, tum gaudere oportet Optimates seu Aristocraticos specialibus juribus ac præminentis, ita ut possint habere sua collegia & conventus, distinctos à collegiis & conventibus Principis & Democraticorum, in quibus deliberare possint de præminentia suâ tuendâ contra Principem & Democraticos: Quando simpliciter prævalere debet Democratia, hæc verò Democraticis integrum scilicet erit, instituere collegia & conventus in scio Principe & Optimatibus, sive prædominetur hæc omnis Populus promiscuè Principi & Aristocraticis, sive melior ejus pars: Quando denique secundum quid prævalere debet, vel Monarchia, vel Aristocratiæ, vel Democratia, hæc verò nonnulla specialia jura & prerogativa concedendæ sunt, vel Monarchæ seu Principi, sed alia jura non minus gravia etiam concedenda Optimatibus & Populo, vel Optimatibus, sed alia jura non minus gravia etiam concedenda Monarchæ seu Principi & Populo, vel Populo, sed alia jura non minus gravia etiam concedenda Monarchæ seu Principi & Optimatibus. *Videntur Althus: cap: 14 Pol: Keck: lib: 2 Pol: cap: 4. Danæus lib: 6 Pol: Christ: cap: 2.*

XXIX.

Et quoniam mixtum in naturâ rerum sequitur modum sui simplicis: hoc exemplo & formæ Rerumpublicarum mixtæ sequentur naturam formarum simplicium. Itaque ergo curæ Magistratus, quæ hæc & ipsæ mixtæ, ad curas simplices reducendæ, exque his de illis pronuntiandum fuerit.

XXX.

Sed quoniam eum, qui civili facultate verè pollet, tum quæ Reipublicæ constitutio simpliciter sit optima, tum quæ sit optima pro ratione suppetentiâ, novisse oportet, ut ait Politicus *lib: 4 cap: 1*, (Multa namque inveniuntur absolutè præstantiora, quæ tamen omnibus hand congruunt, & aliud ἀριστόν, aliud μὲν ἀγαθόν) operæ fortean precium fuerit, dispicere, quæ è memoratis Rerumpublicarum formis sit optima, & maxime κατ' ἐὺχλό, optabilis.

Sunt,

Sunt, qui Monarchiæ hinc tribuant principatum. I. Quia antiquissima. Omnes enim antiquæ gentes regibus primum paruerunt: Cic: 3 de Leg: Adeoque principio rerum gentium nationumque imperium penes reges fuit. *Inst: lib: 1. cap: 1.* II. Quia germanissima, id est, aptissima ad naturam. In omnibus siquidem naturæ operibus, quæ in unam disponuntur, nascitur quiddam principis vicem gerens: In corporum universitate corpus coeleste reliqua moderatur, omnia animalia rationale regit animal, hominem ipsum divinior anima. *Aristot: 1. Politic: 5.* Inter quadrupedes leo dominatur, inter aves imperium tenet aquila, gruum volatus longiores non sunt sine duce, habent cervi unum, quem sequuntur, sunt sub rege apicalæ. *Idem 9. Politic: 7.* III. Quia rationi maximè consentanea. Unius quippè imperii corpus unius animo regendum videtur. *Tac: 1. Annal.* Et ea est imperandi ratio, ut non aliter constet, quàm si uni reddatur. *Idem ibi.* IV. Quia simplicissima atque ordinatissima: Simplicissima, cum nequeat dividi, eò quòd unum maximè repugnat divisioni: Ordinatissima, cum ab uno ad unum omnia hinc dirigantur, qui plures sibi invicem habet subordinatos. *Beſold. disc. Pol. de Rerump. inter se comparatione, cap. 1.* V. Quia potentissima, cum virtus unita sit fortior, quàm dispersa. *Patric. lib. 1. de Reon. & Reg. Inst. tit. 13.* Vnde *Caſtiodor: 9. βιβλίων τῶν λαδν,* stabiliens populum, & ἡ *Caſtodia,* stabilimentum populi audit. VI. Quia justissima & æquissima, ut quæ principem locum dignissimo cuique defert, secundum illi, qui à primo proximus est. *Arist: 3. Pol. Isocr. in Nicocle.* VII. Quia utilissima cum facilius finem suum assequatur, sive spes inventionem consiliorum, sive eorundem executionem. *Camer. in horis Subsec. cap. 88.* VIII. Quia lenissima. Unius quippe viri iudicio ac voluntati satisfacere facilius, quàm operam dare, ut multis & variis ingeniis placeas. *Isocr. in Nicocle.* Et si maximè degeneret in tyrannidem, latius est unius quàm plurium subire jugum. *Darius apud Herod lib. 3.* IX. Quia tranquillissima. Scilicet pacis interest, omnem potestatem ad unum conferri: immò discordantis patriæ sæpè non aliud remedium fuit, quàm si ab uno regeretur. *Tac: 1. Annal.* X. Quia usitatissima, fidem facien-

tibus exemplis, quorum fasciculum collegit *Iunius quest. Pol. 3. & Hippolytus a Collibus in Principe, cap. 1. XI.* Denique, quia commendatissima, vel Oraculo suffragante, quo dicitur

Εὐδαίμων πολίτευον ἐνὸς Κήρυκα ἀκούων
Quare Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἰς κοίρανα ἕνα,
Εἰς βασιλεὺς. *Hom. Il. β.*

Si enim unus Deus potest omnia, quid opus est tot Deos pro uno adorare? *August. lib. 4. de Civ. Dei.*

XXXII.

Sunt, qui Aristocratia. 1. Quia virtus virtus est, hominem quæ reddit aptum ad imperandum: hæc autem ἐν ἀρίστοις, à quibus nomen accepit hic status. *Arist. 3 Pol. 7. II.* Quia optimorum virorum optima consilia, iidemque observantissimi morum ac legum. *Idem 8 Eth: 13 & I Rhet. 8. III.* Quia plures plura vident, & hinc unus alterum retinere potest in officio. *Besold. disc. Pol. de Rerump. inter se comp. cap. I. IV.* Quia vix fieri potest, ut in uno tot ac tantæ virtutes reperiantur, quot ac quantæ optimo principi sunt necessaria: *Plat. in Pol.* Et verò etiam plures facilius, quam unus, munia Reipublicæ exequuntur, sociatis laboribus. *Arist. 3 Pol. 7. v.* Quia natura nihil facit frustra, quæ non unum, nec plures, sed paucos quosdam bonos, atque ad Rempublicam idoneos, fecit. *Besold. cit. loc. VI.* Quia, si mediocritas omnibus in rebus laudanda, atque extrema declinanda sunt, tum verò unius æquè ac omnium imperium declinandum. *Bodin. lib. 6. de Rep: cap. 4. VII.* Quia plurimæ nationum statum hunc exosculatæ sunt, fidem facientibus exemplis, quorum aliquot colligit iterum *Iunius in Quest. Pol. 9. 3.*

XXXIII.

Sunt, qui Democratia. 1. Quia in Statu Populati vera Respublica, omnia, omnia, inquam, publica, id est, populica: *Besold disc. Pol. de Rerump: inter se comp. cap. I.* Convenienter libertati naturali, quæ homines omnes singulique nascendi jure à Deo mundi domini sunt facti: *Gen. I. v: 28.* Quemadmodum namque natura alterum altero neque opibus neque honoribus superiorem fecit: Ita Populatis status hunc sibi propositum finem habet, ut omnia omnibus æqua sint. *Bodin. lib. 6. de Rep:*

cap. 4. Neque injuriâ. Equissimum quippè, ut qui eandem natu-
 ram acceperunt, ex eâdem gente sunt orti, iisdem educati moribus, iis-
 dem legibus instituti, eundem qui quin etiâ corporum atque ani-
 morum usum patriæ exhibent, hi omnium quoque cæterorum com-
 munionem habeant. *Dion: lib: 52: Isocr: in Areopag: Herod: lib: 3. II.*
 Quia Populi Imperium juxta libertatem est: *Tac: 6. Annal: Quæ sita*
 est jucunda, ut etiâ bestix, delectationis causâ conclusæ, icet co-
 piofius alantur, quàm si essent liberæ, non tamen facîle contineri sese
 patiantur. *Cic: 5 de fin: Quod & proverbium innait, quo Iulcinia in*
caveâ conclusa sibi temperare à cantu dicitur *Erasim: in Adag. III.*
 Quia hîc clementiora & humaniora omnia, quàm in paucorum vel
 unius dominatu: *Demosth: in Androcionem: Quoniam hîc nemo alte-*
 rum servitio premere audet, cujus successionem metuere cogitur:
Ambrosius in Hexacmero: Cùm sorte eligantur magistratus, hique suæ
 administrationis rationem reddere teneantur: *Herodot: lib: 3: & verò*
 etiâ magna hoc in statu linguæ sit libertas, quæ cum metuitur, vere-
 cundia oritur, hominesque ad honestè vivendum, resque præclaras
 capeffendas, excitantur. *Demosth: in Orat. Funeb. IV. Quia imperia*
 popularia ferè artium claritudine ingeniorumque aliis sunt florentio-
 ra, feracioraque virorum fortium. *Hippocrates lib: de ære. & aquis. Bes-*
sold: disc: Pol: de Rerump. inter se comp: cap I. v. Quia hîc collectim uni-
 veti, aut saltem multi, prudentius ac subtilius consulunt, quàm vel
 singuli viritum, vel pauci, non secus atque coena illa lautior est & co-
 piofior, quæ multorum sumtibus, quàm quæ unius, apparatus, colle-
 ctæque in corpore vires plus profunt & possunt. quàm separatæ, ad-
 eoque multi melius de Musicâ, quàm pauci, & de carmine universi,
 quàm singuli, judicant. *Arist: 3 Pol: 7. VI. Quia in Statu Popolari,*
 ubi omnium in singulos est potestas, & subjectio singulorum erga om-
 nes, nemo pœnæ promeritæ subtrahitur, ne ipse quidem magistra-
 tus. *Bessold: vir: loc. VII. Quia Respublica æterna est & Populus im-*
 mortalis, qui semper manet. *Claym: lib: 2 de arcans: Rerump: cap 21.*
 VII. Quia non caret exemplis hîc status, quorum aliquot recenset
Junius quæst: Pol: 3.

Non
 B 3
 politico-Democraticæ, et dicitur hic duplex in actu tenentur, quæ
 plet

Non defunt, qui insuper habitis, Monarchiâ, Aristocratiâ, & Democratiâ, formis simplicibus, Reipublicæ Mixtæ decus hoc asserant: *Contzen lib: 1. Pol: cap: 21. Guicciard: Hypomn: Pol: 108. Piccol: grad: 10: cap: 11. Camerar: cent: 1. medicat: hist: cap: 88.* Scilicet 1. quia unaquæque Reipublicæ forma, simpliciter & secundum unam tantum potentiam constituta, instabilis, ut quæ confestim in peculiarem & naturâ consequentem malitiam degeneret. *Polyb. lib: 6.* Quemadmodum enim rubigo ferrum infestat, ita quamlibet Rempublicam vitium suum. *Besold: disc: Pol: de Resip: inter se Comp: cap: 1.* Quod ne erumpat, sapienter elaborant, qui Respublicas miscent. Nolunt enim, ut unius imperium ita solutum omnibus legibus & institutis sit, ut populi libertas opprimatur: nolunt Optimates tantis opibus augeri & amplificari, ut Reges contemant, & Plebem injuriis violenter illatis spolient: nolunt postremò tantum populari licentiæ permitti, ut Principum dignitatem affligere, omnemque Reipublicæ statum perturbare possit. *Orosius lib: 8. de Reg: Inst: II.* Quia prima quæque in mundo regna, aut saltem primis proxima, non simplicis, sed mixti potius fuerunt status, ut docet *Cipharinus in Comment: ad cap: 10. lib: 3. Pol:* Quæ Heroica Aristoteles vocat, in quibus Reges unâ cum Lege imperitabant, neque pro libidine, sed ex præscripto regnabatur. *3. Pol: ult: III.* Quia quemadmodum elementa pura putâ non nutriunt, neque respirationi conducit defecatus aër: *Corn: Val: Inst: Phys: c: 11:* Sic Rerû hæc elementa Publicarum, seu tres superiorum simplicis formulæ, non satis conveniunt Reipublicæ. Horum Politicus eas attemperat ad captum, non secus ac Medicus medicamenta miscet atque applicat, tam ægro, quam morbo. *Contzen: lib: 1. Pol: cap: 14.*

Quibus tamen inter se domi non convenit. Nam aliis eorum status Monarchico-Aristocraticus præ cæteris in hoc genere arridet, ed quodd unus quidem hîc rerum potiatur, sed potentiam ejus & consilia regant ac forment viri sapientes: *Peucer: in lect: Chron:* Aliis status Aristocratico-Democraticus, ed quodd hîc duplex sit veluti senatus, duplex

plex convocatio, duplex suffragium, neque locus corruptionibus:
Leuterbach in Regemenbuch: Alius status Monarchico-Aristocratico-
Democraticus, ed quod complectatur in se omnes Reipublice for-
mas, adeoque omnes omnium virtutes & effecta. Continet liquidem
in se triplex vinculum, sic ut status Monarchicus hic coërceat Aristo-
craticum & Democraticum, & contra: status Aristocraticus Monar-
chicum & Democraticum, & contra: status Democraticus Monar-
chicum & Aristocraticum, & contra. *Comaren; lib: 1. de Rep: Vener.*
Batb: Castil: in Anlico suo, lib: 4.

X X X V I.

Quæ sententia pensior de tot? Ego sanè sic censuerim. 1. Opti-
mam Reipublicæ formam, quæ simpliciter sit talis, idealem magis os-
se, & *κατ' ἐνχλῶν*, neque ejus exemplum extare: *Arist: in Pol: Lau-*
dari eam facilius, quàm evenire. Tac: 4. Annal. Itaque ergo, si in the-
si simpliciter & per se formas Reipublicæ spectemus, nullam satis
commodam esse omnibus, quemadmodum medicina omnibus singu-
lisque non prodest corporum constitutionibus complexionibusque.
Sed nec, si eas pro rerum suppetentium ratione, hoc est, populorum
diversis moribus ac humoribus consideremus, illam tunc harum spe-
ciem absolutè præferendam alteri, cum alia huic genti alia illi, immo
uni eidemque genti diverso tempore alia congruat. *Comzen lib: 1. de*
Rep: cap: 14. Dan: lib: 1. Pol: Christ: cap: 6. Piccol: grad: 10. cap: 11.
Trenal: disp: de formis Reipubl: thes: 29. Hænon. disp: Poli: 9. thes.
15. Optimam interim in hyporhesi dici posse, quæ cuique civi-
tati sit optima. Talis autè fuerit, quam tempora, quam res & oppor-
tunitates, quæ mores civiū perfici ac consistere patiuntur. *Arist: 4. Pal:*
1. Aliàs alia alibi, atq; aded universè, vel Simplex, hïc Monarchia,
illïc Aristocratia, istïc Democratia, vel Mixta, hïc Monarchia Ari-
stocratica, illïc Aristocratia Democratica, istïc Monarchia Aristocra-
tico-Democratica. Quem statum reliquis haud dissimulanter prætu-
lerim præferoque, ob temperamenti nobilitatem, cum contineat om-
nium perfectiones. Sed cum prædominio Aristocratice & Democra-
ticæ scilicet, idque ab abusum Summæ Potestatis, qui grassari solet in
Monarchiâ, vel Absolutâ, vel cum Prædominio, tum Ingenium Prin-
cipum,

cipium, quod si Bonum, corrumpitur Dominatione, si Malum, erumpit in Dominatione, ubi nihil est, quod retinet: Super quare præter Lipsium, lib: 2 Pol: cap: 5. & lib: 2 Monie: Pol: cap: 6. Forstnerum Hypom: Pol: 31, hæc signanter Tacitus de Tiberio, histrionico ac personato Principe: Egregius virâ famâque, quoad privatus, vel in imperiis sub Augusto fuit: occultus ac sabbolus fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Drusus superfuere: idem inter bona malaque mixtus, incolumi matre: Intestabilis sævitiâ, sed obtectis libidinibus, dum Sejanum dilexit, timuitque: postremò in scelera simul ac dedecora prorupit, postquam remòto pudore ac metu suo tantum ingenio utebatur. 6: Ann. Atque hic hic aded sententiæ meæ de Optimo Reipublicæ Statu calculus esto.

Corollaria Cognata.

Utrum ex Gubernatione, an Verò ex statu Iureq³ Imperii de Reipublicæ formâ sit pronuntiandum? Aff. post.

II.

Utrum Monarchia Dominica seu Dominatus sit vera species legitimæ Monarchiæ? Aff.

III.

Utrum Imperium Romanum post Reges exactos fuerit Aristocraticum potius, quàm Democraticum? Neg: pr: Aff. post.

Corol.

Corollaria Respondentis.

POLITICA.

I.

Utrum *Judaei in Repub: tolerandi sint.* Aff.

II.

Utrum Magistratus à religione alienus nihilominus maneat legitimus? Aff.

III.

Utrum legem semel latam antiquare, ac novam subrogare liceat? Aff.

Ethica Specialia.

I.

Utrum Tiberius Gracchus liberalitatis laudem mereatur, cum in publica annonae caritate frumentum populo distribueret gratis? Neg.

II.

Utrum sua legi satisfecerit Zaleucus, cum filio adultero unum sibique alterum erueret oculum? Neg.

III.

Utrum culpandus sit Accilius Regulus, quod Carthaginem ad exquisita supplicia fuerit reversus? Neg.

FINIS.

C

AD

AD NOBILISSIMUM
ET
STUDIOSISSIMUM
DOMINVM RESPONDENTEM,

Disputationum cursum continuantem.

Magna petunt magni: numquam
illi forte quiescunt

Exigua. Forteis sic suus ardor agit.
Ardor agit tuus ille etiam Te indu-
strie semper

Du-Tour. Tibi non sumitur ulla
quies.

Pulcra satis fuerat, vicibus tentasse
duabus;

Maximus, hunc numerum qui su-
perabat, erat.

Non

Non Tibi par veterum menti sententia
fixa est:

Ignavi moris non lubet esse reum.
Altius adsurges posthac quoque, laude
favente,

Audes qui tritam sic iterare viam.
Scilicet, INGENIVM, QVOD
COELO SEMINA DVCIT,
TRANSGREDITVR METAM,
QVÆ MALE POSTA FVIT.

P. F.

A. B. C.

Non est in terra
fixos:
Iam non habet non habet esse
A hinc est hinc est hinc est hinc est

Andes qui tunc hinc est hinc est
Sed et hinc est hinc est hinc est
GOD
TRANSORBIT
GVA MELLE

A.B.C